



~~St. i.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*V-19.*

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

*theol. Vol. 40*

*einzelu verzettelt 30/3. 1915.*



DE  
**VERITATE,**  
 NON, NISI VERITATEM, GIGNENTE,  
*EX I. JOH. II. 21.*  
 BREVISSIMIS COMMENTATVR,  
 ET AD  
 ENARRATIONES PVBLICAS  
**LIBRI NEHEMIAE**  
*IN AVDITORIO MAIORI,*  
 DIE XIX. AVG. HORA VI. VESPERTINA, c. D.  
 AVSPICANDAS,  
 NOBILISSIMOS HONORATISSIMOSQVE  
**DOMINOS COMMILITONES**  
 INVITAT  
 JOHANN CASPAR HAZERUNG/  
 SS. THEOL. D. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.  
 ET TEMPLI MARIANI ARCHI-DIAC.












Q. D. F. E. F. E. J.

I.



Augustae appellationis veritas est, utrum spectemus idioma, quo divinae sapientiae placuit, sua nobis consilia manifestare. Neque absque omine, vel auspicio factum esse, res ipsa loquitur, quod in Hebraeo quidem Codice *אמת* ipsa nuncupatur; in Graeco autem *ἀλήθεια*.

Illud enim cum a nutriendo dicatur, subinnuit, animi pabulum non dari salubrius, quam ipsammet veritatem; Hoc vero cum a non latendo descendat, indicat, veritatis magnam esse vim, adeo quidem, ut, si vel maxime prematur aliquandiu, tandem tamen prorumpat, neque ad tenebras perpetuas suos amafios damnari patiatur. Utrumque assertum & divinae & humanae sapientiae testimoniis nititur: Nam, quod Romanae princeps eloquentiae asserit, mentem hominis discendo ali, non alium habet sensum, quam genuinam animorum alimoniam esse complexum veritatis. Et, quod optimus Servator de iis, qui veritatem cognoscunt & arripiunt, as-

houp

) 2

severat,



severat, ἢ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς Joh. IIX. 32. Hoc evincit, veritatem divinam suos cultores e tenebris in lucem, ex vinculis in libertatem, &, ut verbo multa dicam, ex infelicitate in felicitatem summam vindicare. Veruntamen sicuti veritas, quae rationi humanae subest, non ultra sphaeram suam quenquam beare potest; ita illa, quae, Deo revelante, ex aeterno consilio nobis innotuit, ultra mortalitatis limites evehit & coelorum regno asserit. Nos, illa ad Philosophos amandata, hujus indolem brevibus lineis exprimemus, quantum per temporis ortique angustiam licuerit, illud Johanneum I. Ep. II. 21. Πᾶν ψεῦδος ἐκ τῆς ἀληθείας ἐκ ἔστι: Nullum mendacium est ex veritate, interpretaturi; & deinceps, quis hujus scriptionis sit scopus, tribus verbis indicaturi.

## II.

Depingitur autem hoc dicto sancta veritas, instar foecundissimae alicujus atque felicissimae matris, quae ita perpetuo suae indolis memor sit, ut nunquam ullam falsitatem ex sese progenerare valeat. Ubi, ne ambiguitas verbi remoram nobis injiciat, in antecessum annotare juverit: Non esse Apostolo sermonem de veritate Metaphysica, ut alioquin solet appellari, seu essentiali; qualis innuitur, cum inducitur ὁ θεὸς ἀληθινὸς I. Joh. V. 20. qui eo nomine sejungitur ab omnibus diis λεγομένοις I. Cor. XII. 5. 6. seu iis, qui praeter nomen divinae essentiae habent nihil. Neque enim de eo quaeritur, quomodo essentia alia ex alia prognascatur; sed quo pacto veritates seu assertiones Theologicae ex suo principio, tanquam priori veritate, oriantur? Neque etiam innuitur veritas Moralis, quae, in virtutis studio fita, & verbis, & factis, & gestibus ea prae se ferre docet, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ Phil. IV. 8. Quod fit, cum ipsimet, quod



quod in rebus verum esse putamus, citra fucum & fraudulentiam aliis explicamus. Neque de ea veritate sollicitus est Apostolus, quae consistit in consensu conceptus nostri cum re, quam ipsam benignissimus Deus instillare nobis gestit, utpote *θέλων, πάντας εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν*, I. Tim. II. 4. quae alioquin ad conceptuum doctrinam pertinet, & a Logicis traditur. Neque veritatem sensu Metonymico, adeoque Rhetorico, intellectam vult, quomodo Christus vocatur *ἀλήθεια* Joh. XIV. 6. quatenus ipse est fons & scaturigo salutaris veritatis, quae *διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ γενέσθαι* dicitur Joh. I. 17. quia & per ipsum revelata est, & ejus merito nobis gratiose concessa. Quanquam de his acceptionibus & significatibus omnibus atque singulis verum est: *πάν ψεύδος ἐκ τῆς ἀληθείας ἐκ ἐστίν*. Nam fieri nullatenus potest, ut ex essentia vera nascatur mendax; ut veritatis studiosus fallere intendat; ut ex conceptu vero descendat persuasio falsa; & ut, qui est causa & principium omnis salutaris veritatis, falsa procedat. Sed eam h. l. veritatem innuit Divus Johannes, quae ad Grammaticam pertinet, & in verborum significatione versatur, qua ita quidem Mysteria & salutarem Dei mentem rotunde & perspicue enuntiarunt sancti Dei Viri; ut omnes, seu propriis, seu figuratis verbis utantur, diserte cum Paulo gloriari queant: *ἀλήθειαν λέγομεν ἐν Χριστῷ, καὶ ἔ ψευδόμεθα, συμμαρτυρήσῃς ἡμῖν τῆς συνειδήσεως ἡμῶν ἐν πνεύματι ἁγίῳ*. Rom. IX. 1. Proinde, ut tandem de sententia nostra concludamus, ea huc redit, veritatem divinam, Scriptis Prophetarum & Apostolorum explicatam, ita planam & innocentem esse, ut inde prorsus nihil falsi aut mendacii progigni queat. Quae causa est, cur Scripturae dicantur *μαρτυροῦσαι*



ῥῆσαι Joh. V. 39. & μαρτυρία Joh. I. 19. imo & eminenti  
virtute pervasiva praeditae. I. Cor. II. 4. Quod non est,  
nisi ejus, qui diserte & exquisitè ipsam veritatem ob  
oculos ponit: Testem enim decet εἶναι πῖσόν καὶ ἀλη-  
θειὸν Ap. III. 14. Et vis pervasivendi animos propria  
est veritati.

§. III.

Non abs re erit, hic notare, de iis Sacri Codicis  
Libris nos loqui, qui immediato afflatu Spiritus S. con-  
signati fuerunt; iisdemque spectatis, non in versio-  
nibus aut rivulis; sed in idiomate authentico aut fon-  
tibus. De quibus quidem res confectū erit facilis, si  
intueamur authorem Scripturarum esse cum omniscium  
& sanctissimum, tum omnipotentem. Cum enim  
omnium rerum sit gnarissimus, nihil horum fugere  
ipsum poterat, quae vel ipse per amanuenses suos tra-  
dere volebat, vel quae ipsimet sancti viri erant scripturi:  
Quod secus est in hominibus, qui proinde fallunt sub-  
inde, quia veritas ipsosmet non raro fallit, ipsique  
nubem pro Junone, falsum pro vero, amplexi, illud,  
prouti ipsi pervasum habent, confidenter enuntiant.  
Omniscientiae juncta sanctitas effecit, ut nullo pacto vel  
posset, vel vellet aliter loqui, quam ipsamet res postu-  
laret. Quippe ἀγχινοια hujusmodi, qua dedita opera  
aliud gestis verbisque promimus, quam corde premi-  
mus, uti sanctitati Dei inimica est, ita vindicem ejus  
iram proritat. Denique omnipotentia utramque, &  
omniscientiam & sanctitatem armavit, ut, quae indul-  
gentissima gratia in nostram salutem destinaverat, ipso  
facto reuelarentur, miraculis quoque subinde confir-  
marentur, & ipso denique eventu comprobarentur.  
Adeoque, sicuti ἀδύνατον ψεύσασθαι θεὸν Ebr. VI. 18.  
ita



ita & illi, qui  $\chi$ , τὸ πῶς, καὶ τὸ τί acceperunt a Deo veracissimo, in officio scribendi nulli errori obnoxii esse potuerunt. Hinc sanctissimo Numini omnem gloriam tribuunt; semet ipsos mera organa esse agnoscunt & profitentur. Hinc Davides appellat linguam suam, qua veritatem divinam proloquebatur, עַשׂ סוּפֵר מְהִיר, stylum tantum aut calamum scribae velocis; Scribam ipsum fassus esse Spiritum S. Pf. XLV. 2. Et Johannes semet ait esse Φωνὴν βοῶντος ἐν ἔρημῳ Joh. I. 23. Ef. XL. 3. Ipsum autem βοῶντα seu κήρυκα agnoscit Deum. Quamobrem etiam Hieropsaltes, sublimem illam scripturarum veritatem commendaturus, ait: אֱמֶת וְיִרְבָּה וְאֵשׁ, caput & summa verbi tui est veritas. Vel, quomodo Vatablus vertit, a primo tempore (quo in notitiam hominum venit) verbum tuum veritas est. Pf. CXIX. 160.

§. IV.

Quae ipsa veritas, prorsus extra omne dubium posita, cum Libris Θεοπνεύσις sit propria, non potest non Divus Johannes inferre: Nullam esse falsitatem, nullum mendacium ex ipsis. Hunc enim esse sensum phraeos: πᾶν ψεῦδος ἐκ ἐστὶν ἐξ ἀληθείας, cum indoles Graeci sermonis ostendit; tum παράλληλα S. Codicis loca evincunt, ut, cum Servator ait: Matth. XXIV. 22. ἐκ ἀν ἐσώθη πᾶσα σὰρξ, consona interpretum sententia est, intelligi, nullam carnem seruari; Tum denique illud Logicorum arguit: Negatio negans quicquid post se invenit, destruit. Invenit autem post se τὸ ἐστὶν ἐξ ἀληθείας. Universalem autem terminum πᾶν, quia habet praecedentem, destrui non potest. Itaque necesse est, eundem cum negatione coalescere, & hunc inde emergere sensum: Nullum mendacium est ex veritate. Cum autem hoc pacto satis constet, universè negari,



gari, quod ullum mendacium ex divina veritate pro-  
manet; non abs re erit, indicare, cujusmodinam verum  
ex hoc vero profluere & veluti progenerari, conten-  
dendum sit? Ubi intrepide & plane *μετὰ πληροφορίας*  
asseveramus, nihil non immotae & aeternae esse veri-  
tatis, quicquid ex verbo eo, de quo loquimur, legiti-  
mae ratiocinationis interventu, colligitur, five de cae-  
tero sit Historicum, five Chronologicum, five Topo-  
graphicum, five Onomasticum, five Genealogicum,  
five Politicum, five Physicum, five denique maximum,  
five minimum. Hoc enim semel statutum esto ma-  
neatque, divinam veritatem esse genitricem *πολυτεκνό-  
τατον*, quae non possit non alias ex aliis veritates gigne-  
re, modo nacta sit diligentem & docilem scrutatorem.  
Caeterum cum arcana veritas ea potissimum de causa  
literarum monumentis debuerit consignari, ut, quid  
creditu factuque opus sit hominibus, cognoscamus;  
Hinc immote concludimus, nihil ad fidem vel mores  
ex Verbo Dei deduci, modo bona & genuina adhibea-  
tur collectio, nisi quod sit & ipsum veritatis plane in-  
conculsae. Unde, qui Scripturas meditantur, *σοφίξε-  
σθαι εἰς σωτηρίαν* II. Tim. III. 15. & *ἐπίγνωσιν ἀληθείας* in-  
dipisci dicuntur. I. Tim. II. 4.

V.

Quorum omnium consequens est, eos omnes ve-  
ram notitiam rerum sacrarum adeptos esse, quicumque  
sensum Scripturarum perceperunt; licet de caetero  
actio, ad quam ista *ἐπίγνωσις* a Deo destinata est, non  
consequatur. Quicquid, nimio pietatis & perverfo qui-  
dem zelo quidam abrepti, in contrarium statuant. Nam  
arbor non desinit esse arbor, etsi fructum ferat nullum.  
Et *ἐπίγνωσις τῆς ὁδῆ τῆς δικαιοσύνης* vera manet, etsi, qui  
eam



eam habent, tergum obvertant sanctis Dei praeceptis. II. Petri II. 21. Porro cum haec ipsa verbi divini veritas sit arctissime copulata cum efficacia, inde etiam fluit illa fides, quae sola vera nuncupari meretur. Cum quis cognitam habet gratiam Dei, Christi merito partam, deque ea convictus & persuasus, in eadem immota fiducia acquiescit: Quae ipsa est vere beata *ποίησις τῆς λόγῃς*. Jac. I. 25. Ulterius, qui ea, quae lex divina injungit, recte novit, eadem ex gratia Evangelica facit, *ποιητής τῆς ἀληθείας* recte audit Ioh. III. 17. Nam quod ipso opere justum bonumque est, illud verbis atque conceptu verum sit, oportet. Proinde etsi perfecta pietas, & opera perfecte sancta, neque a Scripturis agnoscantur, & cum doctrina de gratia & satisfactione Christi *διαρρήδην* pugnent; vere tamen sancta & pia in illis dantur opera, qui sunt *ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ*. Joh. XVII. 17. Sicuti Sanctissimus Servator *ἀληθινὸς προσκυνητὰς* agnoscit & describit Joh. IV. 23. Quae tamen vera sanctitas non naturae est, sed gratiae; & quidem cum ex imputata obedientia Christi, tum renovatione quotidiana. Denique in eo subsistimus firmi, eos, qui inhaerent revelatae veritati, quoad quidem id faciunt, neque iudicio suo falli, neque ipso facto peccare posse. Quando adversis frontibus haec pugnant, sequi veritatis Doctorem, & tamen in errores prolabi: Item, *ἀκολοθεῖν τοῖς ἴχνεσι τῆ ὑπογραμμῆς*, I. Petri. II. 21. & tamen in peccata & naevos praecipites fieri. Concinat alibi B. Johannes: Πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τῆ θεῆς, ἀμαρτίαν ἔποιε, ὅτι σπέρμα αὐτῆς ἐν αὐτῷ μένει. Καὶ ἔδυναται ἀμαρτάνειν, ὅτι ἐκ τῆ θεῆς γεγέννηται. I. Joh. III. 9.



## VI.

Atque haec omnia aliter habere plane nequeunt, quoad mens nostra veritatis verbo, tanquam viae regiae, presse institerit. At cum quis concludendi impetu a veritate declinat, quam tamen ex Verbo Dei venabatur, id necesse est, evenire alterutro horum modorum: Vel, ut alienum Scripturis sensum affingat, ex quo deinceps falsum colligat; Vel ut cum genuino Verbi sensu, quem tenet, ea connectat, quae ex ipso nequaquam fluunt. Prius admodum solenne esse, agnovit Clemens Alexandr. L. VII. Strom. p. m. 754. *Δήλον, inquit, ὅτι, δυσκόλῃ καὶ δυσεργῆ τῆς ἀληθείας τυγχάνεσθαι, διὰ τὸ τοῦ γεγονόσιν αἰ ζήτησεως. ΑΦ' ὧν αἱ Φιλαυτοὶ καὶ κενόδοξοι αἵρέσεις, μὴ μαθόντων μὲν, μηδὲ παρεπιλησιμῆς, exemplum praebent Calviniani, dum ex Act. III. 21. ὃν (Χριστὸν) δεῖ θρανὸν μὲν δεξασθαι, ἀχρὶ χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων; inferre conantur, corpus & sanguinem Christi in usu S. Coenae non adesse revera, neque ore corporis manducari aut bibi. Recte quidem, si vera sit, quam illi huic oraculo affingunt, sententia. Haec scilicet: Necesse est, ut coelum, seu sedes gloriae sempiternae, capiat & concludat Christum, usque ad tempora restitutionis rerum omnium. Verum cum & analogia fidei nostrae, & cui haec superstructa est, perpetuus tot Scripturae locorum *παραλληλισμὸς* ad oculum ostendat, quod Christus occupaverit coelum, eoque subierit universale & omnipraesens rerum omnium, quaecumque usquam sunt, regimen; Oppido constat, Adversarios ex suo conceptu & sensu; non ex veritate divina ratiocinari. Id quod est non *κατὰ τὰς γραφάς*, qui Pauli mos est I. Cor. XV. 3. Sed *ὑπὲρ*, aut *παρ' ὃ γέ-**



ὁ γέγραπται I. Cor. IV. 6. hoc est, praeter, & extra,  
 quam scriptum est, φρονεῖν καὶ συλλογίζεσθαι. Posteriori  
 quoque modo non infrequenter contingere lapsus,  
 idem, quem modo citavimus, Clemens Alexandrinus  
 L. I. Strom. p. m. 288. fatetur, dum ait: Ἄλλως τις περὶ  
 ἀληθείας λέγει, ἄλλως ἢ ἀλήθεια ἑαυτὴν ἐρμηνεύει.  
 Tumque integer quidem divinae veritatis sensus con-  
 stat; Sed in necendis inde consequentiis a tramite de-  
 viatur, & error committitur. Atque hujus quidem  
 exemplum esto πολυθρύλλητον illud Papistarum, quo  
 exinde, quod Christus Petro dixit: Ποίμαινε τὰ πρόβα-  
 τὰ μου Joh. XXI. 16. 17. arguere volunt, Pontificem  
 suum esse universalem Ecclesiae pastorem, cui totius  
 sacri coetus cura divinitus, & quidem soli, sit commis-  
 sa. Prorsus absque nexu firmo: Nam si haec Chri-  
 stus dixit Petro sigillatim; ergone soli? Ergone Ponti-  
 fici Romano? Utriusque exempli lapsum iidem Ponti-  
 ficis adulateores committunt in uno eodemque loco,  
 velut una fidelia duos dealbaturi parietes. Constat,  
 quam confidenter illi recipere se soleant ad illud Christi:  
 Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου  
 τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾗδου οὐ κατιχύσουσιν αὐτήν.  
 Matth. XVI. 18. Ubi invenisse se putant, quo confe-  
 ctum dent, Papam suum & esse caput totius Eccle-  
 siae, & eundem infallibilitatis privilegio dotatum.  
 Sed utrumque inficete admodum: Quippe & παρα-  
 λογικῶς & ἀσυλλογιστικῶς. Nam primo, quod de petra  
 illa unica, scilicet Christo, intelligendum erat, cui  
 supraedificata est soli Ecclesia, ita firmiter, ut nulla vis  
 aut fraudulentia eam possit superare. Es. XXII. 16.  
 I. Petr. II. 4. 5. 6. Illi per illaudabilem σφάλλωσιν ad  
 Petrum rapiunt. Atque deinceps ex hoc interpreta-  
 ) ( ( 2 mento



mento atque glossemate suo ita miro nexu ad Pontificum suorum principatum & ἀνωμαλῆσιον concludunt, ut diceret, ipsos magno conatu nugas agere. Posito enim tantisper, sermonem esse de Petro, qui Christum petram confessus erat, quibus argumentis fidem facient asserto, quod a Petro ad tot ordine Pontifices liceat valide inferre. Petrum non esse terminum universalem, adeoque ineptum, qui medium arguendi constituat, Logici ipsos docere poterant. Quae ipsa quo frequentius meditatur, eo planius evadit nobis, ex veritate, seu verbo Dei ipso, prorsus nihil sequi falsi aut mendacii; Sed, si recte illud apprehendatur, & adhibeantur germanae colligendi regulae, in mentibus nostris veritatem ex veritate producere. Quod si autem falsum concludunt, & decipiunt, qui Scripturas tractant, eos palam est, aliunde, quam ex ipsismet Scripturis errandi principium arcessere debere.

## VII.

Quocirca non possunt non gravissime in Dei sanctitatem impingere quicumque βιβλιομάστιγες, qui quibuscunque machinis Scripturarum veritatem adoriuntur, ejusdemque virtutem infringere & enervare contendunt. Quot modis id moliantur Papaei, difficile foret, in ea, in quam conjectos nos videmus, angustia percensere. Qui asseverat, ipsos omni conatu id agere, ut S. Dei verbum elumbe reddant, & gradu suo deiciant, forte minus, quam verum sit, dicat. Quid enim praesidii? Quid spei ad ministrandam veritatem in eo verbo relinquatur, quod materia litis, nasus cereus, verbum mortuum, & quod animam atque vitam aliunde mutuari debeat; mutilum item & mancum,  
pro-



propudiosis certe titulis, appellatur? Quod denique ex laicorum, quos vocant, manibus sollicitè extortum eunt, tanquam si ejus lectio, si promiscue concedatur omnibus, exitium minuetur veritati salutari, & periculum introducendorum errorum pariat. Neque ipsos juvat quicquam, quod quivis, etiam desperatissimi haeretici, ad Scripturas provocare soleant, & in illis latibula invenire. Nam, quod provocent, damus; quod in ipsis inveniant latibula, negamus. Diversissima enim sunt, ipsis Scripturarum effatis muniri; & affictio illis quocunque sensu, tanquam pallio, semet velare. Paulo modestius Arminiani veritatem Scripturarum labefactant, dum Scriptores sacros in rebus leviculis & parvi momenti a vero aberrasse, pugnant. Sed & hoc est divinae veritatis nervos incidere, & ipsi Spiritui sapientiae convitium facere, quasi amanuensibus suis non usque quaque adfuerit. Quo admissio, suspicandi saltem occasio praebetur, qui aliquando defuerit, annon forte in omnibus dormire potuerit. Neque minus in eam, quam sartam tectamque esse volumus, verbi divini veritatem, injuria est schola Calvinii; quoad illud placitum defendit: Verbum DEI aliud quid sonare, quam arcano consilio supremum Numen decreverit. Cui sententiae, qui subscripserit, adhibitis mediis Hermeneuticis, scire potest, quem sensum verba in nativo suo situ spirent; quae autem loquentis sit intentio, divinare & scire non potest. Quorsum igitur audaciae procedunt, qui ita larvam induunt Deo, omnium larvatorum osori? Hoc certe est, & sermonem & sermonein fallaciae & fraudulentiae insimulare. Nescio tamen an foedius quisquam hic personam agat, quam ille, qui omnia secula perreperavit, spiritus Fanaticus;

X 3

quo,



quo, qui fascinantur, multiplici μεταμορφώσει fucum faciunt : Nam modo immediatas confabulationes crepant, & arcana cum Deo colloquia jactant ; Modo de angelorum clandestinis congressibus & suggestionibus gloriantur ; Modo ad lumen aliquod internum, quod in cordis fundo stabuletur, recurrunt, idque verbo scripto, tanquam tenebris, opponunt ; Modo literam ipsam & Spiritum a seinvicem sejungunt & divellunt, quasi litera non spiret ipsam divinam veritatem, & Spiritus extra & citra literam contingere debeat ? Quasi vero verbum illud, quod literis consignatum extat, non sit ἀλήθεια Joh. XVII. 17. δύναμις τῆ θεῶ ἐν σοτηρίᾳ. Rom. I. 16. imo πνεῦμα καὶ ζωῆ. Joh. VI. 63. Quare pestilentissimum hoc hominum genus tanto studiosius cavendum est, in quanto plures factiones scinditur ; quae tamen omnes eo tandem collineant, ut incertum reddant, ane aliquid salutaris veritatis hauriri queat ex verbo Dei scripto. Quo tamen erepto, necesse est, in inextricabiles labyrinthos projici animas, salutis cupidas, tandemque ad umbras & larvas amandari, cum ipsis de incolumitate deliberaturas. Quamdiu autem suus verbo Prophetico & Apostolico constat honos, sua veneratio ; tamdiu suppetit, unde veritate pascamus mentes, & fitim restinguamus.

#### VIII.

Quae jam praefari volui, dum ad functionem novam, publice obeundam, accingere me oportet : Nam ex quo, nutu Dei O. M. *Augustissimus Potentissimusque Rex Poloniarum & Elector Saxo DN. FRIEDERICVS AVGVSTVS, Dominus & Nutritius meus Indulgentissimus*, praevia honorifica mei commendatione, a Venerandis inclytæ hujus Academiae Patribus Conscriptis facta, commo-

tus,



tus, clementissime jussit, ut provinciam, extra ordinem publice interpretandi Theologiam, capeffam, demississimo obsequio obtemperandum mihi esse, intellexi. Cum autem iis, quorum voluntatem sanctissimae instar legis revereri par est, placuerit, *Nebemiae Librum, ab hora VI. vespertina ad VII.* enarrandum mihi injungere, vicissim uberrimus dicendi campus mihi aperiretur, si vel de autore libri, vel de ejus argumento, vel de ejus difficultate & crebrioribus inibi occurrentibus nodis atque salebris, vel de instituti nostri ratione & methodo verba facere liceret. Sed de his, & consimilibus, quae auditorem nosse, expediat, cum sub auspiciis operis, tum in ipso lectionum cursu mentionem facere, multo videtur convenientius. Destinavimus autem, quod propitio fiat Deo, cras hujus occupationis nostrae facere initium, ad quam ut Honoratissimi atque Nobilissimi Domini Commilitones frequentes & prono affectu convenire dignentur, qua par est, humanitate rogo atque obtestor. Deum interim veritatis precor, ut Spiritu & gratia nos omnes roboret, quo, verbo Prophetico & Apostolico constanter innixi, in vera fide & illibata pietate proficiamus in dies, usque dum ipsum veritatis fontem Deum Trinunum, intueri oculis liceat, & in ipso aeternum exultare. P. P. Vitembergae  
Dom. IX. Trinit. MDCCXV.

---

PRELO VIDVAE GERDESIAE.



... clementissime iussu ut provinciam exire ordinem  
 publice interpretandi hoc legem, capitulum, deus  
 illius obsequio obsequendum non esse, intellexi.  
 Quia enim in quorundam voluntate hoc illius iussu  
 legis reverentia est placuisse. Ad hoc legem, ad  
 hoc legem, ad hoc legem, ad hoc legem, ad hoc legem,  
 vultum spectans dicens, caput non speritur, si  
 vultu auro libri, vel de eius arguendo, vel de eius  
 difficultate & crebris inibi occurrentibus nobis  
 auro libris, vel de iussu nostri ratione & metodo  
 vultu facere debet. Sed de his & consiliis, que  
 auctoritate nostra, capite, cum hoc iussu operis  
 tunc in hoc iussu auctoritate facere, nihil  
 videtur conveniens. Ad hoc iussu autem, quod  
 proprio per Deo, cum huius obsequio nostro la-  
 cere iussu, ad quam in hoc iussu huius iussu  
 huius iussu, cum huius iussu & primo la-  
 lectu communi operis, que per huius iussu  
 approbationem, huius iussu, ut  
 huius iussu, que nos omnes iussu, quo, verbo pro-  
 phete & Apostolice iussu, in vero de  
 & huius iussu, que huius iussu, que huius iussu  
 veritas huius iussu, huius iussu, huius iussu  
 & in hoc iussu exiit. R. F. V. iussu

Dom. IX. THE. MDCXXV.


FRANCO VIVAR GERMANIAE













Umg. VI 19

ULB Halle

003 144 232

3



TA 206  
SR.124:NMN:00

VD 18

VD 17


Z











14.

*DE*  
**VERITATE,**  
NON, NISI VERITATEM, GIGNENTE,  
*EX I. JOH. II. 21.*  
BREVISSIMIS COMMENTATVR,  
ET AD  
ENARRATIONES PVBLICAS  
**LIBRI NEHEMIAE**  
*IN AVDITORIO MAIORI,*  
DIE XIX. AVG. HORA VI. VESPERTINA, c. D.  
AVSPICANDAS,  
NOBILISSIMOS HONORATISSIMOSQVE  
**DOMINOS COMMILITONES**  
INVITAT  
JOHANN CASPAR HAZEKUNO/  
SS. THEOL. D. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.  
ET TEMPLI MARIANI ARCHI-DIAC.

